

## EL DIÁLOGO *AN SENI SIT VXOR DVCENDA* DE POGGIO (MS. COLOMBINO 5-3-27)

J. Solís

Universidad de Sevilla

En el manuscrito 5-3-27 de la Biblioteca Colombina de Sevilla se conserva un breve tratado de Poggio Bracciolini que ha quedado fuera de las ediciones parciales de su obra. El presente artículo ofrece una edición de este texto colacionado con los dos testimonios publicados (Liverpool 1807, Florencia 1823).

In the manuscript 5-3-27, belonging to the Biblioteca Colombina of Seville, a brief treatise by Poggio Bracciolini, not included in the partial editions of his works, can be found. The present article offers an edition of this text, which has been collated with the two publications (Liverpool 1807, Florence 1823).

Poggio Bracciolini (1380-1459) escribe este breve tratado en forma de diálogo con ocasión de un debate surgido después de la cena que el entonces secretario apostólico dio a sus amigos Niccolò Niccoli (1364-1437)<sup>1</sup> y Carlo Marsuppini de Arezzo (1398-1453)<sup>2</sup>. Según el propio autor declara en la carta dedicatoria a

<sup>1</sup> Sobre este apasionado de la antigüedad clásica y gran promotor del Renacimiento, debe consultarse el trabajo con la bibliografía esencial de M.C. Davies, «An Emperor without Clothes? Niccolò Niccoli under Attac», *IMU* 30 (1987) 95-148; del mismo Davies, no he podido consultar su tesis *Friends and Enemies of Poggio* (Oxford 1986) cit. en «Instrumentum Bibliographicum», s.v. Poggius Bracciolinus, en *HL* 37 (1988) 319.

<sup>2</sup> Cf. G. Zippel, *Carlo Marsuppini*, Florencia 1890, reimpr. en Giuseppe Zippel, *Storia e Cultura del Rinascimento Italiano*, a c. di Ganni Zippel (Medioevo e Umanesimo 33; Padua 1979) 198-214; es de provecho consultar sobre todos estos personajes las biografías del contemporáneo Vespasiano da Bisticci, *Le Vite*, I-II, ed. A. Greco (Florencia 1970).

Cosme de Médici, fue por no dejar en el olvido (cf. § 3) las palabras de tan sabios y elocuentes varones la razón por la que se decidió a pergeñar esta obrita, pero también para recabar del hombre fuerte de la república su opinión sobre el asunto (cf. § 2). El tema de esta amable y desenfadada discusión es el examen de las ventajas e inconvenientes de que un anciano tome esposa. Su móvil estriba en la realidad del matrimonio que el veterano humanista contrajo, después de 55 años de alegre soltería, con una joven de 18 años perteneciente a la aristocracia florentina<sup>3</sup>. Aquel mundillo de políticos, eclesiásticos y profesores chismosos, con ese "sarcasmo anejo a la condición de erudito", empleó a fondo el hecho de este tardío matrimonio sacando a relucir todos los trapos sucios de su vida anterior<sup>4</sup>. Es seguro que la intención de redactar esta charla quedara al margen de la divulgación de los literarios insultos que estos humanistas se afanaban por pulir en la más pura tradición del *Italum acetum*; la fecha, entre enero y abril de 1436, y la verosimilitud de la circunstancia ocasional parecen corroborarlo.

El debate se establece entre dos tesis contrapuestas: la de Niccoli que rechaza totalmente que el hombre ya maduro y hecho a la tranquilidad tome esposa y, sobre todo, si se trata de una jovencita (cf. §§ 5-24), y la de Poggio, representado por Carlo Marsuppini, que defiende la situación concreta de su amigo para acabar desarrollando ligeramente una serie de lugares comunes sobre la vida matrimonial (cf. §§ 25-67), ejercicio retórico de argumento pedagógico que practicaron de una u otra manera casi todos los humanistas<sup>5</sup>. El epílogo (§§ 68-69), como no podía ser menos en una obra de Poggio de este tono, consiste en una salida chusca de Niccoli: Si tan excelente te parece, le dice al Aretino, contraer matrimonio a la vejez, ¿cómo es que no esperaste a ella para casarte? (cf. § 6); tú lo que has hecho es pagarle la cena a nuestro anfitrión con tu apoyo dialéctico.

<sup>3</sup> «Vaggia figlia di detto Ghino si marita a Messer Poggio Segretario del Papa con dote di fl. 600, 19 gennaio 1435», i. 19 enero 1436, cf. E. Walsler, *Poggius Florentinus. Leben und Werke* (Leipzig-Berlin 1914) 353. La nota está sacada del Libro di Ricordanza di Ghino di Manente Buondelmonte, cod. Magliab. 37.305, p. 97 (*olim Strozzi* 1237); esta noticia fue utilizada y vertida al latín para la introducción a la *Historia Florentina* de Poggio editada en L.A. Muratori, *Rerum Italicarum scriptores*, XX (Milán 1731), 172b; por señalarse tan sólo el año, 1435, me movió al error de adelantar el feliz evento a diciembre de 1435 (cf. J.Solís, *Sátiras de Filelfo* [Sevilla 1989] 143, y *Philologia Hispalensis* 4 [1988] 622), cuando en realidad la fecha del diario de Ghino está en «estilo florentino», que atrasaba el comienzo del año al 25 de marzo.

<sup>4</sup> Cf. G. Voigt, *Die Wiederbelebung des classischen Alterthums*, II (Berlín 1895 [= 1960]) 464, y Lorenzo Valla, *Antidoti In Pogiūm liber IV*, en *Opera omnia*, I (Turín 1962 [= Basileae 1540], 350; estudió este triste episodio de la historia del *Quattrocento* Ch. Nisard, *Les Gladiateurs de la République des Lettres au XVe, XVIe et XVIIe siècle*, I (París 1860), en cuyas fuentes los insultos dedicados a Poggio por Filelfo y Valla tienen como motivo central toda clase de obscenos infundidos sobre la vida privada; cf. también J. A. Symonds, *El renacimiento en Italia*, tr. W. Roces (México 1957) 494-498; la introducción de A. Bonneau (cf. *infra* nota 6) informa sin dramatismo de las vicisitudes prematrimoniales y la fortuna de su descendencia legítima.

<sup>5</sup> Cf. la edición del *De re uxoria* de Francesco Barbaro por E. Garin, *Prosatori latini del Quattrocento* (La Letteratura Italiana. Storia e Testi 13; Milán-Nápoles 1954) 105-136; y P.O. Kristeller, *El pensamiento renacentista y las artes* (Barcelona 1986) 68.

El diálogo, a pesar de la difusión de otras obras de Poggio, permaneció inédito<sup>6</sup> hasta que su primer biógrafo William Shepherd<sup>7</sup>, lo rescató en 1805 de un códice de la flamante Bibliothèque Nationale ("in bibliotheca olim Regi, hodie genti Gallorum arrogata") y lo dedicó a su colega y paisano William Roscoe, quien a su vez incluiría este testimonio en el suplemento que ilustraba su biografía de Lorenzo el Magnífico. Esta obra, publicada en Londres 1822, fue inmediatamente traducida al italiano por Vincenzo Pecchioli<sup>8</sup>, quien si bien parece reproducir el texto de Shepherd al introducir su carta a Roscoe, recoge sin embargo el texto del diálogo de algún manuscrito italiano<sup>9</sup>, pues no sólo incluye una parte desconocida, la carta nuncupatoria a Cosme (§§ 1-3), sino que también anotó al margen las discrepancias que veía en el texto de Shepherd.

En un manuscrito misceláneo de la Biblioteca Colombina de la Catedral de Sevilla, el 5-3-27, ff. 155<sup>r</sup>-169<sup>v</sup><sup>10</sup>, se ha conservado una copia completa de este diálogo. Se trata de un texto a una columna de 18 a 20 renglones por página, escrito en letra humanística corriente, cuya grafía coincide en general con el uso algo relajado muy común en los primeros años del «Quattrocento»: asibilaciones, reducciones de diptongos, aspiraciones (*michi, nihil*), que vemos alternadas, y a veces combatidas, en los autógrafos de Poggio<sup>11</sup>.

<sup>6</sup> Así lo afirma M. Cicuto, en su documentado *Poggio Bracciolini. Facezie*, intr., trad., note di - (Milán 1983) 39; Zippel (nota 1) 98, n. 102, ya señaló la obra de Roscoe (cf. *infra* nota 8); cf. también Poggius Bracciolini, *Opera omnia*, a c. di R. Fubini, I-IV, Turín, Bottega d'Erasmus, 1964-1969, realizada a base de reproducciones anastáticas de los impresos de Poggio (= Basilea 1936); tampoco se halla el diálogo en los inéditos de Walser (nota 3) 428-556; pero existe tr. francesa con reproducción del texto de Shepherd: *Un vieillard doit-il se marier?*, dialogue de Pogge Florentin, traduit... par Alci-de Bonneau (París, Isidore Liseux, 1877).

<sup>7</sup> En su *Life of Poggio Bracciolini* (Londres 1801) había lamentado la pérdida de este «ingenii ejus monumentum»: *Poggii Bracciolini Florentini Dialogus. An seni sit uxor ducenda*. Circe an. 1435 conscriptus, nunc primum Typis mandatus, et publici iuris factus eddente Gullielmo Shepherd (liverpoliae, Typis Geo. F. Harris, 1807).

<sup>8</sup> Cf. G. Roscoe, *Illustrazioni storico-critiche di G. Roscoe alla sua vita di Lorenzo de' Medici detto il Magnifico con un appendice di documenti tanto editi qua inediti* (Firencia 1823) 216-239. Agradezco a F. Gascó y G. Galán las reproducciones de estas rarísimas páginas, y a F. G. de la Concha, el acceso a los fondos colombinos.

<sup>9</sup> Quizá algunos de los mss. Biblioteca Nazionale, Magl. XXXIX.86, ff. 59<sup>v</sup>-62<sup>v</sup>, o Laurenziana, plut. 54.10, ff. 24<sup>r</sup>-32<sup>r</sup>; cf. R. Fubini y S. Caroti, *Poggio Bracciolini nel VI centenario della nascita. Mostra di codici e documenti fiorentini*, (Firencia 1980) 41-42, cit. por H. Harth, ed., *Poggio Bracciolini. Lettere*, I (Firencia, Olschki, 1984), p. XLV.

<sup>10</sup> El códice, que merece un examen minucioso, está someramente descrito por P.O. Kristeller, *Iter Italicum*, IV: *Great Britain to Spain* (Londres-Leiden, E.J. Brill, 1989) 615 a. Otro ms. donde se conserva, Vicenza, Biblioteca Comunale, G.VI.8.26, f. 25<sup>r</sup>, cit. por Harth, (nota 9) p. LXVII. Ni os tres mss. mencionados por Harth ni el Colombino están recogidos en L. Bertalot, *Initia Humanistica Latina. Initienverzeichnis lateinischer Prosa und Poesie aus der Zeit des 14. bis 16. Jahrhunderts*, II.1: *Prosa, A—M*, bearb. von U. Jaitner—Hahner (Tubinga 1990) 230, nº 4221; sólo el *Laur. 54.10* para la dedicatoria, *Ibid.*, 273, nº 5029, que dada su extensión quizá es el utilizado por Pecchioli (nota 9).

<sup>11</sup> La restauración de la grafía correcta *michi / nihil* frente a ese uso medieval que Coluccio y Bruni defendían para reflejar la aspiración (cf. un resumen de la polémica en R. Sabbadini, *Storia del Ciceronianismo* [Turín 1886] 100-101) se debe en buena medida al rechazo tajante de Poggio; cf. B. Ullman, *The Origin and Development of Humanistic Script* (Roma 1960) 24-25.

El texto que sigue se ajusta a la lectura del ms. Colombino sin entrar a corregir algunos deslices *laesae Latinitatis* que Shepherd declara haber modificado de su fuente manuscrita pero sin constatar en ningún momento la peripecia textual (*Vitia nonnulla de quibus non dubitandum esset quin scribae incuria irrepsissent tacitus sanavi* [nota 7] p. iii). Se soslayan, sin embargo, en el presente texto algunas erratas irrelevantes (*contumeliosiores* § 52; *in curia* § 34; *infie* § 58; *sactietas* § 10; *senetutem* §§ 18, 68) y separación de enclíticas usual en la época (*at qui* §§ 9, 47; *et enim* §§ 13, 27, 40, 47; *etiam si* §§ 55, 56; *quibus cum* § 56; *-ue* §§ 34, 39).

SIGLA:

C: Biblioteca Colombina de Sevilla, MS. 5-3-27, ff. 155<sup>r</sup>-169<sup>v</sup>.

Sh.: *Poggii Bracciolini Florentini Dialogus, An seni sit uxor ducenda*, edente G. Shepherd (Liberpool 1807) 1-30.

Pe.: *Illustrazioni storico-critiche di G. Roscoe alla sua vita di Lorenzo de' Medici detto il Magnifico con un appendice di documenti tanto editi qua inediti*, (Florenzia 1823) 216-239.

[f.155<sup>r</sup>] 1. Poggius pl. salutem dicit Cosmo de Medicis, uiro prestantissimo.

Disputatiunculam dudum inter doctissimos uiros Nicolaum nostrum et Carolum Aretinum, an seni conduceret uxorem ducere habitam, cum nonnullos locos eius memorie commendassem, decreui nunc ociosus litteris tradere, tum propter hominum dignitatem, tum quia in sententiam meam conferre Caroli dicta uidebantur. Sunt enim quidam rerum ignari, qui nefas esse putent matrimonium querere eum qui sit etate prouector, cum illi maxime tempori adsit gubernande domestice rei prudentia, et adiumentum uxoris fere necessarium existat. 2. Quanquam autem pluribus uerbis ac sententiis a Carolo causa senectutis defensa fuisset quam a me referantur, tamen his paucis quae in mentem uenerunt, aliqua ex parte satisfactum aduersus Nicolai iudicium puto. Ad te autem, uirum cum sapientissimum tum doctissimum disceptationem mitto ut ea lecta abste eliciam utrius sententiam magis probes. 3. Quod si ieiunius a me dicantur quam aut Nicolai uis disputandi aut Caroli eloquentia poscit, imbecillitatem ingenii mei culpabis, quod ultra nequit progredi quam uires ferant. Malui enim quantum assequi potui scribendo complecti quam sinere ut doctissimorum hominum uerba in re presertim scitu necessaria in obliuionem laberentur. Vale. Florentie 15. Kal. Aprilis.

1-3 om. Sh. 1 Caroli dicta om. Pe. | adsit C: absit Pe. 2 uenerint Pe. | abs te Pe. 3 quam aut C: quae aut Pe.

{f.155<sup>v</sup>} 4. Cum uiri doctissimi michique summa amicitia coniuncti, Nicolaus Nicolausque Carolusque Aretinus, mecum post acceptam uxorem, ut fit inter amicos, pranderent, inter edendum in eum sermonem deuenimus ut quereretur an seni (in me autem hec interrogatio uergebat) esset uxor ducenda. Cum uero plura in utramque partem afferrentur, ego autem propriam causam tuerer, «Absumptis» inquam «epulis latius hec disputanda censeo; nam inflata repleteque tibie sonare, ut dicitur, consueuerunt modulatius». 5. Mensa igitur remota, cum is de integro oriretur sermo, Nicolaus uero loqui in eam sententiam cupere uideretur, «Quid,» inquam «Nicolae, cause affers cur senem coniugii commodis priuandum putes?» Tum ille paulum subridens, ut erat promptus ad facetias, «Omnes michi profecto» inquit «non solum stulti, sed uos quodammodo uidemini insanire ut elleboro opus esset ad purgandas tanta uesania hominum mentes. 6. Que enim stultitia est, cum usque ad senium uxorem contempseris, liber ac tui iuris uiuens, postmodum te subicere uoluntarie seruituti ac nouarum molestiarum causam querere, quas neque commode ferre queas neque ullo pacto reicere. Hunc certe Carolum laudo, quem et suo et ab Aristotele in suis Politicis prefinito tempore, nouum maritum {f.156<sup>r</sup>} uidimus. Iste uero» me designans «duram, ut uidetur, prouinciam sumpsit qui tunc nouam artem iniiit cum desinere oporteret. 7. Hec una quidem res est, que maxime adolescentiam ac iuuentutem deceat, senibus precipue fugienda. Laudent alii rem uxoriam quantum libet, mea quidem semper fuit opinio eam rem tum omnibus annis grauem, tum uero senectuti aduersam plurimum esse, quam cum subleuanda aliquo presidio esset pondere uxoris opprimere stultissimum uidetur. 8. Nam ea etas cum neque sibi neque matrimonii muneri satis possit facere, quietem potius quam nouum laboris genus uidetur appetere: satis negotii in ipsa senectute consistit, absque quod ea superuacua molestia implicetur.» 9. «At qui» inquam ego «tu ceteros forsitan ex tua natura iudicas, qui semper uxoris nomen tamquam Sisyphi saxum exhorruisti nescius quid in ea sit commodi et uoluptatis, quae si cui dulcius est tum maxime senibus periocunda. 10. Michi quidem ad hanc diem nulla satietas, nulla penitentia uxoris coepit; quin potius ita in illa consolor, ita letor in dies magis ut qui absque uxore uiuant penitus stultos putem iudicemque eum qui uxoris commodo caret maximo omnium bono carere.» 11. «Istuc fortassis» inquit Nicolaus «tibi usu uenit, qui nactus {f.156<sup>v</sup>} es adolescentem optimis educatam moribus, tibi morigeram atque obsequentem ut magis tibi fortuna in ea diligenda commendanda sit quam consilium in deliberando. 12. Sed cum rara sit auis in terris, non quid tibi contigit, sed quid tibi id aetatis dignum erat querendum duco. Factum uero tuum quandoquidem ex sententia accidit, uehementer probo, sed eo modo quo quidam, prout dudum subridens retulisti, amici factum probauit.

5 sulti C | quodammodo *Sh.Pe.*: q<sup>o</sup><sub>3</sub> C 6 uivens *Sh.Pe.*: om. C | uidetur *Sh.Pe.*: uideor C 7 senectutui C | opprimere C: opprimi *Sh.Pe.* 9 sisifi C | dulcius C: -lcis *Sh.Pe.* / periocunda C (periuc- *Pe.*): procuranda *Sh.* 10 hunc diem *Sh.Ro.* 11 usu tibi *Sh.Pe.* | tua fortuna *Sh.Pe.* | in *s.u.* *inserendum notauit* C 12 contigit C, *Pe.*: -erit *Pe.* | erat C, *Sh.*: esset *Sh.* | ridens *Sh.Pe.*

13. Narrasse etenim te memini quendam in Anglia[m] ab amico consultum an feminam, quam occulte antea desponderat, uxorem su[m]meret; atque ille (parum enim pudicitie mulier consuluerat) rem fieri prohiberet, amicus autem sibi integrum non esse diceret cum eam iamdudum despondisse fateretur; ille statim mutata sententia tanquam in mulieris nomine errasset matrimonium suasit optime id factum esse asseuerans. 14. Itidem ego, quod actum est approbans, cum tibi res ex uoto cecidit, quod tamen raro euenire solet, fortunatum puto; ueruntamen parum mente constare michi uidetur qui quinto et quinquagesimo anno, que tibi nunc {f.157<sup>r</sup>} etas est, coniugem querit ingrauescentes iam sua sponte annos grauiori curarum mole deprimens. 15. Quid enim si uxor tuis moribus contraria ac peruersa domi fuerit, que te redeuntem toruo grauique excipiat uultu, exeuntem iurgio prosequatur, domi morantem uerbis obtundat et mordeat! Que te cura, que anxietas, qui mentis cruciatus uexabit! 16. Quid, si ebria (accidere enim hec possunt) fuerit, si impudica, ignaua, somnolenta? Satius emori esset quam cum hac uitam degere. Adde quod aut uirgo aut uidua, et ea uel adolescens uel etate prouectior, seni erit iungenda. Virgo cum adolescentum diuersi sint et senum mores, uarii appetitus, longe alia natura, raro conueniet uiro. 17. Varietas morum reddet diuersitatem uitae, ut idem sentire non possint: altera risu, ludis, iocis, alter austeritate et rebus seriis delectabitur; illa appetitu erit masculiore, uir stomacho debilis; altera in causam uirum uocabit, alter declinabit forum. Ita affectionum disparitas, dissensiones primo, inde odium pariet, ut michi quidem in lubrico uersari uideatur senex cui uirgo copu- {f.157<sup>v</sup>} -lata sit. 18. Vidua uero, si iuuenis fuerit, iuuenem uirum experta, dolebit etatis commutationem, queretur sibi cibum minutum; semper prioris uiri memor et dulcis anteacte uite, egre senectutem animo feret suspirans ac mentem referens ad superiorem uitam, ut plane intelligatur, etiam si id non audeat proferre, presentium rerum pertesam amissi uiri desiderio commoueri. 19. Sin tue etati uetulam conformem matrimonio tibi iunxeris, neque filii creabuntur, et duo imbecilles alter alterius onere succumbent. Cumque unius debilitas magnum onus afferat, accumulata postmodum duplici morbo, summa torquebit calamitate. 20. Emergunt preterea sexcente in diem improuise molestie que nedum senes sed iuuenes quoque ad penitentiam uxoris adducant; loquor de iis que domum pudicam seruant, nam uiris infide nullo pacto uxorum merentur nomen, quod si pudicitie uel suspicio uel crimen addatur, nullum erit grauius {f.158<sup>r</sup>} tormentum, nulla maior infelicitas. 21. Michi quidem has difficultates animo uoluenti rectius uisum est in tuto uersari procul ab eiusmodi curis quam periculum facere eius rei quam multi sapientes ut suspectam uitarunt. Sunt autem multi qui uergente etate uxorem querant tamquam senectutis quietem.

13 Anglia *Sh.Pe.* | summeret (sūmeret) *C* | atque *C, Pe.*: quumque *Sh.* | despondisse *C* 14 rara *C* 15 prosequetur *C* 16 sint adolescentum *Sh.Pe.* | senum *C*: iuuenum *Sh.Pe.* | 17 possint *Sh.Pe.*: possit *C* | ante seriis *ras.* seueriis *C* | masculiore *C*: meliusculo *Sh.Pe.* | inde *C*: deinde *Sh.Pe.* 18 sibi *om.* *Sh.Pe.* | minutum *Sh.Pe.* | superiorem uitam *C, Pe.*: priorem uirum *Sh.* | plane *Sh.Pe.*: plene *C* | etiam si *C*: etsi *Sh.Pe.* | uiro *C* 19 iunxeris *C* 20 iis (ijs) *C*: his *Sh.Pe.* 21 eiusmodi *C*: huiuscemodi *Sh.Pe.* | uergenti *Sh.Pe.*

22. O insulsos homines, qui fessi ac requiem petentes in lectum se proiciunt quiescendi causa uepribus ac rubis repletum. At uero ii magis errare michi uidentur quibus adsit liberale aliquod doctrine genus cui honeste uacent, animum bonis artibus imbuant; nam liberior est multo ad literarum studia sui arbitri uir quam impedimento muliebri inuolutus. 23. Adde quod liberi eo tempore senibus suscipiuntur ut eos uirtutibus imbuere aut certum aliquid exercitii genus tradere nequeant, ante morte preuenti quam instet tempus rationi percipiende accomodatum; tutorum certe cure commendandi sunt qui sepius questum quam parentum beniuolentiam sequuntur. {f.158<sup>v</sup>} 24. Quo pacto neque dum uiuis ulla solida ex filiis, quos nondum noris quales euasuri sint, percipitur consolatio, neque in morte spes datur certa futurorum qua morientis animus acquiescat. Scio in multis hec aliter posse cadere: nam te beatum quidem puto si uera sunt que de uxore retulisti uacuis his oneribus que plurimos homines pessumdant. Sed tamen tutius consilium ambiguo semper preferendum dicunt.» 25. Hic cum paulum ridere coepissem, ad purgandam Nicolai accusationem intentus, «Sine» Carolus inquit «ut pro te ceterisque senibus respondeam Nicolao. Liberius enim honestiusque sen[um] causam tuebitur is quem extra senium positum nulla propria affectio sed ueritas ad dicendum impellit. 26. Video Nicolaum nostrum eam legem probare quam ipse sibi indixit, nulla quidem ratione sed timore nescio quo superuacaneo et austeritate quadam subagresti quam communis uite usus repudiauit. 27. Qui enim non improbare {f.159<sup>r</sup>} debemus eam uiuendi consuetudinem, quam si omnes sequerentur, unico seculo genus hominum penitus interiret. Etenim maris et femine coniunctionem ad conseruationem orbis necessariam natura ipsa instituit, nedum inter homines sed in reliquis quoque animalibus. 28. Itaque rectissimum puto malle communi uita uiuere et se accomodare ad ciuilem uitam prolemque gignere ad amplitudinem ciuitatis quam solitarium degere, sterilem, remotum a consuetudine ceterorum, uera ac perfecta amicicia quam maxime coniugium prestat ac quotidiana beneuolentia priuatum. 29. Turpe quidem est ac preter natura nobis insitam rationem cum homo animal sit sociabile ad procreationem natum, respuere gignendi facultatem et eam societatem spernere que sit omnium optima ac iucundissima. Cetera animalia ratione carentia uis ipsa impellit nature ad coniunctionem procreandi gratia ut sua species {f.159<sup>v</sup>} cuique conseruetur. 30. Quid, homo ratione utens cuius foecunditas utilior est brutis, an erit ceteris deterior, et facultate celitus propagande sobolis data ad delendum genus hominum abute[n]tur? Vide ne erres nimium, mi Nicolae, si id etiam uiro sapienti suadere uelles, quod ad extinguendum non solum ciuitates et hominum cetus sed terrarum quoque orbem spectaret.

22 letum C | ii C: hi Sh.Pe. | uacent animum C: uacent et animum Sh.Pe. | arbitrii Sh.Pe. 23 aliquid C: quodam Sh.Pe. | beneuol- Sh.Pe. 24 quos C: quandoquidem Sh.Pe. | puto C: reputo Sh.Pe. 25 intentus C, Sh.: indutus Pe. | senum Sh.Pe. 26 uideo C, Pe.: uides Sh. 28 a om. Sh.Pe. 30 abutetur Sh.Pe.

31. Quanquam sapiens nullo modo esse posset qui nature ordini institutoque contraheret a qua bene uiuendi omne principium duxerunt. Neque uero illos ab ocio literarum matrimonium auocabit. Non enim Socrati, Platoni, Aristoteli, Theophrasto, et e nostris Catoni illi prisco, M. Tullio, Varroni, Senece, reliquisque doctissimis uiris uxores impedimento extitere quo minus ceteros qui coniugia respuerent omni uirtutum et doctrine genere superarint. 32. Quid quod matrimonio qui abstinet uel adulter uel fornicator euadet aut alteri uitio detestabiliori inuoluetur. Neque tu michi {f.160<sup>f</sup>} uite continentiam pre te feras et quidem admodum pauci existunt qui eam uirtutem amplectantur. Itaque propter honestiorem quoque uitam uxoris muneri herendum est. 33. His ego de causis, etiam si cetera commoda abessent, omni etati ad progeniem apte nuptias suaderem, neque uererer nescio quid inane seruitutis nomen quod *subesse* in coniugio censes. Summa quidem libertas est uiuere ut uelis, quod solum coniugium prestat, in quo non seruis sed imperas. Liber es enim a uitiiis que undique innuptos circumfluunt: imperas mulieri que tibi parere ac seruire sua sponte condiscit. 34. Maxime uero senibus, quod tu paulo uerbis abhorrebas, matrimonium esse utilissimum iudico, cum eo tempore uxorem querat quo lasciuiis, inscitia, leuitate, incuria uacua etas, rebus autem gerendis et consilio apta, optimum ac precipuum fructum ex re uxoria potest {f.160<sup>v</sup>} percipere. Hic solus nouit queue appetenda fuerint que ue fugienda, inscitiam alterius suo reget consilio, appetitus prudentia moderabitur, labentem retinebit et rudem uitam in suos mores traducet». 35. Hic cum ridere coepisset Nicolaus, «Atque» inquit «tu senes omnes laudas tanquam non multi pueris deteriores atque imprudentiores reperiantur». «Omnis» inquit «etas» Carolus «tam seni quam iuueni si stulta fuerit molesta est. Sed nos non de uno aut de altero sed de communi sen[i]um causa querimus. Michi quidem rationem uiuendi ducem consideranti, et senis coniugium approbo et ei rectius quam adolescenti uxorem adolescentulam arbitror collocari. 36. Primum nullam legem neque consuetudinem uideo que uxorem senibus interdicat, sed quemadmodum uidemus nauium gubernacula rectius credi senioribus, sic in domestica cura aptior erit qui uixerit diutius: nam in iuene rarissime ullum genus prudentie inesse potest. Tum uero quemadmodum nouelli palmites, {f.161<sup>r</sup>} nisi clauiculis tanquam manibus hereant sustentaculo, decidunt nec possunt consistere, sic adolescentule etas, nisi senum prudentia regatur, labitur persepe ac se ipsam prosternit, adolescentes quippe ac iuniores nedum alios sed ne se ipsos quidem norunt regere.

31 duxerunt C: ducitur Sh.Pe. | auocabit C: voca- Sh.Pe. | Theofastro C | in omni Sh.Pe. | superarent Sh.Pe. 32. pauci admodum Sh.Pe. 33 subesse Sh.Pe.: abesse C | enim es Sh.Pe. 34. adhorr- C | eo s.u. inserendum not. C | quaerant Sh.Pe. | gerendis C: agendis Sh.Pe. | potest C: poterit Sh.Pe. | labentem Sh.Pe. 35 atqui Sh.Pe. | aetas inquit Sh.Pe. | senum Sh.Pe. | approbo C: approbatum est Sh.Pe. | adolescentulam om. Sh.Pe.



37. Incerti rerum et rationis ignari; ut inter cetera incommoda sepius contingat uxorem pro uiro *quaerendam* esse, ea quandoque est etas ut nullum sui periculum fecerit, incertum est quibus moribus, qua prudentia, quo genere exercitii, qua uiuendi ratione sit uitam acturus. 38. Duorum insuper incitia simul iuncta etate ad uitium tenera magna incommoda afferet in uita: alter alterum in errorem trudet dum indulgebunt suis cupiditatibus quibus obsistere infirmo animo, nullo usu, nulla prudentia didicerunt. Plurimum, ut alia omittam, ampla patrimonialia a parentibus relicta dissipant ut postmodum egentes uitam inopem cum liberis ducere compelluntur, qua ex re multas mulieres fieri deteriores necessitas coegit, {f.161<sup>v</sup>} nonnullas etiam labi adolescentium iniquitas et stultitia impulit ut parum tutum sit filias suas iunioribus credere. 39. At uero in senibus uita omnis anteacta cognita est et perspecta: in promptu sunt mores, uictus, fortune, questus, prudentia, ualetudo et cetera uel ad uitia uel ad uirtutem spectantia in quibus immutande deteriorandeue consuetudinis nulla suspicio supersit. Senis namque etas prudentia, consilio uiget ut non facile in errores labatur. 40. Hic uxorem, rem imbecillam, reget ordine et domesticis institutis, efferuescentes annos compescet atque instruet, fortunas non solum seruabit sed augebit in suum et filiorum usum, beneuiendi preceptis futuro tempore prospiciet, nichil aget cuius postmodum penitentia ducatur. Etenim ut pomorum sic etatis nostre maturitas quedam est: qui fructus est uberrius {f.162<sup>r</sup>} senectutis. 41. Neque tu michi nonnullos senes afferas ualetudinarios, difficiles ac morosos, qui pueris quandoque sunt deteriores. Omnis etas insaniam redolens repudianda est, sed insaniorem etatem iuuenem efficit ignorantia ueri et regende rei familiaris de-suetudo. Cum igitur experientia rerum, uirtute, consilio senectus excellat cumque domestica in re a[c]cutior diligentiorque esse soleat, propter publicam *utilitatem*, propter societatem uite communis, propter mutuam uiuendi presidium, propter mutuam tutelam, etiamsi spes filiorum absit, seni uxor erit accipienda. 42. Neque uero uxor tantum, sed iuuenilibus quoque annis et etate florida. Primum eius etatis anhelitus purus atque incorruptus senectutem uiuificabit conseruabitque integram. Deinde adolescens tanquam cera teneris adhuc annis, uiri moribus et consuetudine imprimetur ut leui momento assuescat uiri desiderio parere, id appetat, {f.162<sup>v</sup>} id refugiat quod uirum optare animaduertat; ut enim tenelle plante quo uelis flectuntur magis quam corroborate, ita adolescentiores facilius red[d]igas ad tuam consuetudinem quam illas quas uel etas uel alterius uiri usus reddidit callidiores.

37 esse ea quoque C: quaerendam esse, ea quando Sh.Pe. | incertum est C: incertumque sit Sh.Pe. 38 in errorem C, Pe.: moerorem Sh. | plurimi Sh.Pe. | compellantur Sh.Pe. | cogit Sh.Pe. | iunioribus C, Pe.: iis moribus Sh. 40 aget C: agit Sh.Pe. | compescet - ducatur C, Pe.: bene uiuendi praeceptis compescet atque instruet, fortunas non solum seruabit sed augebit in suum et filiorum usum Sh. | nostr(a)e C, Pe.: naturae Sh. 41 ante ualetudinarios ras. ualidiores C | quandoque (i. qñq; C: aliquando Sh.Pe. | insaniam C | acutior C: accuratior Sh.Pe. | utilitatem Sh.Pe.: uolun- C | filiorum spes Sh.Pe. 42 calidiores C

43. Tibi obsequentem facies, ad tuum nutum inclinabis assuescesque nullis malis imbutam moribus tibi morigeram obsequi, uereri etatem sapere, quid sit laudi, quid uitio dandum internoscere et admonitione continua et uiuendi usu. Rei uero uxorie, nisi superiorum annorum culpa obsistat, tantum impartietur (etiam uxore id, si pudica fuerit, postulante) quantum rationi et procreandis liberis satisfiat. 44. Videmus pueros in religiosis locis abditos, dempta exeundi euagandique facultate, et uoluntatem quoque, per desuetudinem, ludendi euagandique abicere et externorum que non uident nulla moueri cupiditate. Licet etas ac natura {f.163<sup>r</sup>} repugnare uideatur tamen prodest usus contrarius nature. Simili modo et de uirginibus conspicitur quas seclusas ab hominum mulierumque congressu si bene instituantur nulla eiusmodi cura mouet. 45. Quid igitur mirum est nuptas senibus uirgines, uirorum monitis et consiliis imbutas, multas uoluptatum illecebras quas non norunt aspernari obtemperantes desiderio senioris et id rectum putantes quod agendum ratione et prudentia didicerunt. Id optimum ducent quod uiderint ualetudini uiri conferre, existimabuntque eius incolumitatem rebus ceteris que breui labuntur esse preferendam, gaudebuntque se iunctas eis uiris qui, quod maximum est in coniugali fructu, recte uiuendi precepta et facultates rerum ad uitam de more degendam suppeditare ualeant. 46. Ita mea sententia melius seni quam adolescenti uirgo nubet. {f.163<sup>v</sup>} Nam quamuis pares cum paribus ueteri prouerbio facile congregentur, tamen sapientius est herere ei etati a qua absit suspicio paupertatis, insit autem uirtus ac regendi sapientia, ex qua bene uiuendi ratio ac disciplina possit percipi quam ei in qua subsit egendi timor, que fragilis est, nullo usu, nulla prudentia, nullo uiuendi ordine suffulta maximeque inscia ad liberos educandos. 47. Etenim cum unius stulticia sit satis ad euertendam rem familiarem, quid si duo lubrica etate stulti copulentur? Quanta erit [illa] domus illius calamitas, quanta desolatio! Atqui nullam prudentiam, nullum rerum usum, nullam uite degende rationem esse in adolescentibus satis constat ut id, cum experimento ipso confirmetur, nulla indigeat probatione. Nam quod parentes dixisti uoluptate liberorum carere, cum prius {f.164<sup>r</sup>} e uita sit abundum quam ad uirtutem institui queant, non uideo cur adolescentes potius quam senes filiorum iocunditate fruantur. 48. Siquidem nulla certior iunioribus etas quam senibus promittitur, sed diuturniorem ac firmiorem prope uitam fata spondere uidentur illis qui ad annum quinquagesimum peruenere etate integra; emensi enim multos uite casus ac labores, obfirmasse quodammodo naturam contra uidentur morbos, ac se corroborasse diuturna cura ad perferendos labores. Plurimos quidem morbi conficiunt in etate teneriori quos anni corroborati contemnunt: facilius enim subrepunt prioribus annis, qui tanquam cera ad calidiorem auram liquefiunt.

43 assuesces *Sh.Pe.* | morigerum *C* | ludi *C* 44 uoluntatem *Sh.Pe.* | uidet *C* | nature *om. Sh.Pe.* | cura eiusmodi *Sh.Pe.* 45 uiderint *C*: uident *Sh.Pe.* | uiri ualetudini *Sh.Pe.* | ante gaudebunt *graviter interpunx. Sh.Pe.* | ualeant *Sh.Pe.*: ualeam *C* 46 agendi *Sh.* 47 euertendam *ex -tan- corr. C* | dua *C* | rerum nullum *Sh.Pe.* | illa *om. Sh.Pe.* 48 uidentur contra *Sh.Pe.* | se *om. Sh.Pe.*

49. Omne tempus nostrum dubium est et uariis egritudinibus subditum, sed magis dubium pluribusque subditum periculis iuuenum {f.164<sup>v</sup>} quam senum, tum quia natura ipsa per se fragilis est ea etas atque imbecilla, tum quia seruare modum nescit, neque temperare uoluptatibus que persepe magnarum sunt causa infirmitatum. At uero senes corroborata etate, usu firmiores, experientia peritiores, tum ualetudinum impetum fortius suscipiunt, tum cautius declinant quo certior ac longior uita senum esse uidetur. 50. Insuper non est repudianda etas ad quam uiginti aut triginta anni possint adici, qui satis superque satis sunt ad educationem filiorum. Nam tum adulti et intelligere et sapere possint, si fuerint a doctis et sapientibus quales sunt senes parentibus instructi. Id uero maximum commodum in senibus ex educatione liberorum percipitur, quod meliores multo moderatiores ac perspicaciores uidemus eos qui a senioribus educantur quam eos qui a iunioribus, qui nullam filiis neque {f.165<sup>r</sup>} doctrinam neque prudentiam neque certam uite rationem possunt trad[de]re, ipsi omnium eiusmodi rerum expertes. 51. Sed fac senis uitam esse breuiorem, nunquid non percipiunt in filiis immensam ac precipuam uoluptatem? Siquidem eo tempore filios nutriunt cum anni teneriores existant, quo patrem uereri, honore prosequi, parere, presto adesse, nutum obseruare parentum disciplina didicerunt ut nulla ex eis causa mesticie oriatur. 52. Robustiores uero annos contumeliosiores licentia efficit, frena parentum respuunt, uoluntatem aspernantur, precepta contemnunt, reprobi ac contumaces suo more uiuunt, que res persepe maximo dolore parentes premit. Qui ergo breuiori sunt uite munere, solam ex filiis uoluptatem sumunt, nulla calamitate admixta. 53. Verum que te ratio, Nicolae, impellit ut matrimonium senibus dissuadeas? nunquid non filios procreant? nunquid {f.165<sup>v</sup>} curam familie ignorant? nunquid ad prolem gubernandam inepti, nunquid eorum fetus imbeciliores aut imperfectiores uidentur? numquid corpore uel ingenio debiliores? 54. Vt antiquiores M. Catonem priscum illum, ut M. Tullium multosque preterea doctissimos ac sapientissimos uiros omittam, qui exacta ferme etate adolescentulas matrimonio sumpsere, paulo superius etate nostra Galeottus Malatesta, cuius nomen ob res pace et bello preclarissime gestas apud Italos longe lateque uiget, quarto et septuagesimo etatis anno uxorem adolescentem sumpsit exque ea quattuor filios genuit qui postea uiri totius Italie preclarissimi habiti sunt, quorum Carolum ipsi uidimus literarum studiis florentem bellique ducem prestantissimum etatis nostre.

49 nostrum C: nimirum Sh.Pe. | sed magis dubium om. Sh.Pe. | a uoluptatibus Sh.Pe. | causa sunt Sh.Pe. | eas cautius Sh.Pe. 50 repudianda C | possint C: possunt Sh.Pe. | instructi C: instituti Sh.Pe. | moderatioresque Sh.Pe. | eos Sh.Pe.: ij C | possunt C: possint Sh.Pe. | tradere Sh.Pe. 51 oriatur C: exori- Sh.Pe. 52 parentes in ras. C | breuiori C: breuiores Sh.Pe. 53 filios non Sh.Pe. | familie curam Sh.Pe. | nunquid eorum - imperfectiores om. Sh.Pe. | uel corpore uel Sh.Pe. 54 etate nostra C, Sh.: aetate matura Sh.

55. Hos cum natura ad uirtutem edita adiuuit, tum paterna {f.166<sup>r</sup>} institutio, uirtus atque auctoritas per omnem uitam ante ipsorum oculos obseruata. Multum quidem ualere et magnum pondus habere arbitrator in liberis educandis parentis senis auctoritatem ac sapientie plenam cohortationem, que etiam si in iuuenibus uigeant, minus tamen ponderis habere uidentur, cum ab illa etate aliena quoadmodum creditur esse prudentia; maturitatem in senibus, grauitatem, consilium, rerum experientiam esse arbitramur. 56. Ea res auctoritatem quandam parit ut ii plus ceteris prouidere et sapere existimentur; id multum proficit ad coercendam etatem lubricam filiorum qui parentum uestigia imitati se ad eorum quibus cum uiuunt mores et uitam componunt, mandatis obtemperant, nutum obseruant, non obscenitatem aliquam, non turpitudinem, non insulsos iocos domi condiscunt, sed honestatem, continentiam, modestiam, grauitatem; quibus rebus ab ineunte etate imbuti, etiam si parentum presidio destituantur, {f.166<sup>v</sup>} tamen prioribus annis perceptam disciplinam per omnem uitam conseruant. Hoc pacto uiri sepius preclari euadunt et ceteris prestantiores. 57. Itaque dicam iterum quod sentio: seclusa priuata utilitate, publici commodi gratia senibus uxorem et quidem adolescentem habere expedit; conducit enim reipublice maxime uiros graues, prudentes, bonos esse in ciuitate qui sua sapientia ceterorum stultitiam substentent. Adde quod magnum est uite nostre adiuumentum habere cui uitam tuam recte credere, cum qua cogitationes communicare, consilia conferre, gaudium impartiri, egritudines lenire possis, quem te alterum, quod perfecta est amicitia, uere queas dicere. 58. Neque uero uerendum est ut te non amet, si abs te amari ut decet uxorem, si castam fidem seruari, si se ut alteram tui partem, non ut seruam tractari senserit[n]t, que senes facillime prestant. {f.167<sup>r</sup>} Nam quotus quisque est ex his iunioribus qui coniugalem fidem non abrumpat ac distrahat? Efferuescit libido latius quam equum est, neque se continet intra domesticas metas. 59. Pellex potior uxoris loco habetur. Furfur, ut inquit, domum, alio farinam exportari queruntur; ex quo iurgia, contentiones, odia indigna matrimonio subsequuntur, et uindicande quandoque contumelie appetitus. Seniorum moderata uoluntas, fides coniugii incorrupta, affectio in coniugem singularis, integritas mentis sana. Cessat rei aliene appetitus. Mutua beniuolentia et coniugii sacra fides eam uoluptatem prebet qua nulla queat esse maior inter mortales. 60. Quid quod alacrior redditur ac multo iucundior senectus ex coniugio iunioris. Nam quod senes tanquam imbecilles in uenerem culpasti, id quidem summa est illius etatis laus et precipua uirtus. Tantum enim {f.167<sup>v</sup>} uoluptati impartiri debemus, si modo homines sumus non bellue, quantum satis est ad procreandum prolem, cuius causa etiam bruta coitum appetunt. Quod ultra appetitur magis bestiarum opus est quam hominum utentium ratione.

55 obseruata C. Sh.: obuersata Pe. | auctoritatem Sh.Pe.: -atis (i. aũtiy) C | plena cohortatio C | etiam si in C: etsi Sh.Pe. | quodammodo Sh.Pe. | ante prudentia grauitate interpunxit C 56 ii C: hi Sh.Pe. | etiam si C: etsi Sh.Pe. | ante uitam ras. etatem C 57 recte om. Sh.Pe. | in perfecta Sh.Pe. 58 ut C: ne Sh.Pe. | senserit Sh.Pe. | continent Pe. 59 inquit C | queruntur Sh.Pe.: querunt C | quo s.u. inser. not. C | uindicande Sh.Pe.: iudic-C | sana om. C 60 redditur om. Sh.Pe. | sumus C: simus Sh.Pe. | procreandam Sh.Pe.

**61.** Aequum est tantum in uoluptate progredi quantum ratio matrimonii poscit; luxuriam non solum in senibus sed etiam in adolescentibus turpem ac uitiosam esse sapientes uolunt. Senibus igitur in hoc moderatio maxima est commendatione digna; quum rationem precipuam uite ducem sequeris, necessaria atque utilia que sunt sequitur, superflua et inutilia respuit. **62.** Quod si uxoris aliquem uehementiorem appetitum nouerit, sicut infirmis quandoque contingit, qui morbo ingrauescente multa inutilia licet gustu suaui appetunt, moderabitur [mode]ratione et id conferre docebit quod nature et honestati fuerit necessarium. {f.168<sup>r</sup>} Quod uero neque uirginem neque uiduam neque etate maturam ducendam existimabas, pace tua, Nicolae, dixerim, nimis aberrare uideris a recto iudicio et tuis moribus fauere. **63.** Ducet quidem uirginem, et eo magis quod annos teneros nulla alterius preterquam domestica parentum consuetudine edoctos, flectet quo uolet, in suam institutionem inducet, suis moribus coaptabit, auctoritate et consilio reget, id esse optimum docebit quod fuerit honestum, ostendet quanta sit continentia uirtus, quid pudice ab impudicis differant, quatenus uoluptati indulgendum sit, quatenus abstinendum. Ita uerbis, nisi fuerit animal stupidum, assequetur, ut quod anni aliquando poscunt ratio moderetur, et quod uir suaserit id potissime censeat faciendum. **64.** Vidua autem si uirum iuuenem fuerit experta, recordabitur quoque se quandoque ab eo spretam et contemptam fuisse, alteram quesitam, se adultere postpositam, lacessitam {f.168<sup>v</sup>} iurgio, et uerbere aliquando appetitam; uenient in mentem uestes persepe aut uenundate aut condonate pellici; adolescentie leuitas succurret, difficultas morum, inconstans matrimonii fides ut cum ad senem peruenit ubi omnia hec cessant, in portum tranquillum ex procelloso mari se existimabit uenisse. **65.** Maturos quoque annos senex non reformidabit et absque liberorum spe propter ipsam nature societatem communisque uite adiumenta appetet uetule coniunctionem, ut duorum imbecillitas communibus uiribus ualidior fiat: nam sicut quod robustissimus sepe uir nequit, unius debilis accessione conficitur, ita quod aliquis impotentior solus non potest assequi, alterius licet paruulum auxilium subministrat. **66.** Manus unica manca est ad opus conficiendum, due altera alterius fulta adminiculo perfectam rem efficiunt; ita quod uni deest alterius subsidio fulcitur. Dixisti quoque {f.169<sup>r</sup>} tibi uitam sen[i]um uideri breuiorem. Non possum negare termino quo proficiscuntur propinquiorem esse. At ea est uita perfectior, maiorique a[u]gitur cum laude. Prestat enim breui uiuere cum uirtute quam ceruorum uitam ducere cum ignauia, stultam, erroris atque inscitie plenam que et sepius labitur quo est fragilior et flexibilior ad uitia.

**61** poscat *Sh.Pe.* | luxuria *C* | etiam *C*: et *Sh.Pe.* | senibus *C*: senis *Sh.Pe.* | maxima *C*: maxime *Sh.Pe.* | quum *Sh.Pe.*: que *C* | sequitur *C*: sequeris *Sh.Pe.* | superflua - respuit *om. Sh.Pe.* **62** sicut in *Sh.Pe.* | ratione *Sh.Pe.* **63** animal stupidum fuerit *Sh.Pe.* | moderetur; quod *Sh.Pe.* | potissime *C*: -imum *Sh.Pe.* **64** quoque *om. Sh.Pe.* | uerbere *Sh.Pe.*: uerbo *C* | ueniet *C* | ubi *Sh.Pe.*: ibi *C* | hec *om. Sh.Pe.* | existimabit *C*: existimet *Sh.Pe.* | uenisse *C*: perue- *Sh.Pe.* **66** et sicut cum *ante* manus *add. Sh.* | dest *C* | senum *Sh.Pe.* | agitur *Sh.Pe.*

67. Aetas senis (eos uero senes appello qui id nomen substinere possunt) quantulacunque superest perfecta est, in qua uiget animus, mens, consilium, que uirtutis est habitaculum et fructus uite superioris. Itaque quoquo uerteris necesse est concedas etatem senis ad matrimonium utilem, ad uite usum accomodatam ut ea nobis appendenda si[n]t si uolumus perfecte et cum uirtute uiuere.» 68. Hec cum dixisset, «cur» inquit Nicolaus «tu, Carole, non exspectasti senectutem in uxore[m] ducenda si tibi ea etas adeo comprobatur?» «Non» inquit «superiori etati matrimonia denego si apte et commode fiant, sed senectutem non esse alienam ab eo munere ostendo, quandoquidem ea certior melior perfectiorque etas {f.169<sup>v</sup>} uidetur.» 69. «Quilibet» inquit Nicolaus «suum appetitum sequatur, sua cuique sententia est. Hec uero a te arbitror dicta ut huic nostro satisfacias. Voluisti, ut opinor, pro cibus uerba reddere ne sibi aliquid deberes. Sed iam satis confabulati sumus. Id optime prospiciam ne michi reliquorum insania obsit.»

Que cum dicta essent surreximus.

67 uirtus C | sit *Sh.Pe.* 68 uxore *Sh.Pe.* | ea tibi *Sh.Pe.* | melior *om. Sh.Pe.* 69 sibi C: illi *Sh.Pe.*